

summatarum rationarium reddidit: ita ut non aliter LXX. viri, nec minus Sp. S. per Pauli calamum hanc vocem, quam per $\sigma\upsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\acute{\iota}\nu$ λόγον & τὸ $\gamma\gamma\eta$ per λόγον $\sigma\upsilon\nu\tau\acute{\epsilon}\mu\upsilon\epsilon\iota\nu$ reddere potuerint. Perspexit hanc significationem vocis JACOBVS GVSSE-
TIVS atque ad 1. Sam. XX, 9. 33. notavit τὸ $\kappa\lambda\iota\gamma$ designare mentalem consummationem & rationes initas definitivas, quantumvis hanc emphasim deserat deinceps & locum non de consummanda ratione sed de consummanda pernicie explicat, quod scopum textus minime ferit. *Commentar. Linguae Ebr.* sub voce $\gamma\gamma\eta$ pag. 290. Erit itaque vox ab Esaia adhibita numeri alicujus magni, confecti & computati denotativa, ut adeo λόγος vocabulum recte hic per *rationem* explicetur. Videtur, scribit VARENIVS laudatus, eodem, nempe ad numerationem Apostolum respexisse, & proinde vocem λόγος hic arithmeticam esse, ita ut dicat rationem, numerationem ac supputationem, hoc sensu: Licet magnus sit rejiciendorum Judaeorum, seu illorum qui facti sunt anathema a Jesu Christo, numerus, ita ut quando DEVS $\sigma\upsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\acute{\iota}\nu$ λόγον, major pars pereat, sit tamen aliqualis & Deo certus Judaeorum credentium, & non reprobatorum numerus. *Comment. in Es. X.* pag. 296. Egregie omnia. Malimus vero numerum illum magnum, tum de hominibus omnibus, tum speciatim de hominibus vocationem acceptantibus, explicari, quoniam residuum salvandorum non superest ex rejiciendis, sed ex vocatis, utpote ex quorum numero magno, constanter fideles soli sunt superstites, reliquis ob incredulitatem finalem damnatis.

IX.

Quid itaque sit $\sigma\upsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\acute{\iota}\nu$ λόγον, haud obscure patere potest: nimirum non modo inire numerum, verum etiam in unam summam computare, eum tam diu augere, addere numerum numero, donec completus sit, ac talis qualis esse